Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1437
Quelle:
Copyright:

Ut *Vol.* I. P. 2. *col.* 1654. et pluries.

XVI. *fol.* 154. Quaeſtiones duae diſcuſſae: 1) *Vtrum quilibet chriſtianus ex profeſſione facta in baptiſmo teneatur indiſpenſabiliter ſub pena dampnacionis eterne fidem catholicam defendere et eius aduerſarios usque ad mortis interitum perſequi?* Reſpondetur negative et ſub finem exclamat ignotus Autor: *Benedictus deus qui data tali queſtionis occaſione nos in hanc catholice veritatis elucidationem tocies hactenus ventilatam introduxit!* Quod *Conſtantiae* factum eſſe cenſeo. 2) Propugnatur, et quidem ab *Juriſta*, ut ait Elenchus, haec Theſis: *Recipiens ordinem ſecundum modum nunc currentem communiter non eſt ſymoniacus iudicandus nec in foro penitentie nec in foro contencioſo, dummodo habeat bonam fidem, quod recipere aliquid per collatores ſacramentorum in aliquo caſu fieri poteſt ſine peccato.*

XVII. *fol.* 162. Tetras *Libellorum* ſeu Sermonum B. *Auguſtino* perperam adſcriptorum 1) *De miſeria hominis.* Init: *Fratres kariſſimi quam tremenda eſt dies illa* &c. Extat in *Append.* T. V. edit. *Maur. col.* 413. 2) *De honeſtate mulierum.* Init: *Nemo dicat fratres quod temporibus noſtris* &c. Ibid. *col.* 488. 3) *De die iudicii.* Init: *Recogitemus fratres kariſſimi cuncta mala* &c. Ibid. *col.* 412. 4) *De contemptu mundi ad clerum.* Init: *Audite fratres kariſſimi ſalutiferam* &c. Ibid. *col.* 293.

XVIII. *fol.* 173. *Tractatus de confeſſione.* Ita Elenchus. Ingreditur: *Quoniam fundamentum et ianua virtutum omnisque gratie ac ſpiritualis conſolacionis principium eſt conſcientie puritas* &c. Tacetur Autor, qui eſt *Thomas Aquin.* ut habes Edit. *Opp. Romae* 1570. T. XVII. *Opuſc.* LXIV. *fol.* 101.

XIX. *fol.* 190. p. 2. ex Elencho: *Tractatus de Doctrina loquendi ac tacendi*, quem jam ἀνώνυμον indicavi *Vol.* I. P. 2. *col.* 1771. Autor mox ſub ingreſſum proditur: *Ideo ego albertanus brevem doctrinam ſuper dicendo atque tacendo vno verſiculo comprehenſam tibi filio meo* (tertio) *ſtephano tradere curavi. Verſiculus autem hic eſt:*

Quis. quid. cui. dicas. cur. quomodo. quando. requiras.

Sex iſta Capitibus traduntur, ſed Codex mox in tertio, ſive in *Cui* abrumpitur. Integrum autem et non indoctum Opuſculum ſaepius jam Sec. XV. prelo ſubjectum fuit, ut videre eſt apud Bibliographos, quin ipſo Autoris aevo italice verſum. Fuit *Albertanus* Sec. XIII. non XII. ut erratum in *Bibl. Fabric. med. Lat. de ora*, non *ore*, ut quidam ſcripſit, *S. Agathae*, qui vicus eſt *Brixiae*, Cauſſidicus ibidem et Judex. Adi de eo, ejusque Scriptis *Mazzuchellii Scritt. d'Italia Vol.* I. P. 1. p. 294.

XX. *fol.* 198. *Determinaciones ſanctorum Doctorum qui ſunt hic conſtantie pro cottidiana uel crebra com-*